Ad Tertiam, Aña. Angelórum esca.

Capitulum. Fratres, Ego enim, ut supra.

℟. br. Panem cœli * Dedit eis. Panem cœli. ℣. Panem Angelórum manducávit homo. Dedit eis. Glória Patri. Panem cœli. ℣. Cibávit illos ex ádipe fruménti. ℟. Et de petra, melle saturávit eos.

Ad Sextam, Aña. Pinguis est panis.

Capitulum. 1. *Cor.* 11. *f*

Quotiescumque enim manducábitis panem hunc, et cálicem bibétis: mortem Dómini annuntiábitis donec véniat.

℟. br. Cibávit illos * Ex ádipe fruménti. Cibávit. ℣. Et de petra, melle saturávit eos. Ex ádipe. Glória Patri. Cibávit. ℣. Edúcas panem de terra. ℟. Et vinum lætíficet cor hóminis.

Ad Nonam, Aña. Vincénti dabo manna.

Capitulum. 1. *Cor.* 11. *f*

Quicumque manducáverit panem hunc, vel bíberit cálicem Dómini indígne: reus erit Córporis et Sánguinis Dómini.

℟. br. Edúcas panem, * De terra. Edúcas panem. ℣. Et vinum lætíficet cor hóminis. De terra. Glória Patri. Edúcas. ℣. Pósuit fines tuos pacem. ℟. Et ádipe fruménti sátiat te.

In secundis Vesperis omnia dicuntur sicut in primis Vesp. ccxix.

℣. Panem de cœlo præstitísti eis. ℟. Omne delectaméntum in se habéntem.

Ad Magnificat, Aña. O sacrum * convívium, in quo Christus súmitur, recólitur memória passiónis ejus: mens implétur grátia, et futúræ glóriæ nobis pignus datur.

# OFFICIUM

## CONCEPTIONIS

# B. MARIÆ VIRGINIS,

Quod BENEDICTUS PAPA XIII. quolibet Sabbato anni (extra Adventum, Quadragesimam, et Sabbata Vigiliarum, et Quatuor Temporum) non impedito Festo novem Lectionum, etiam translato, ritu Duplici recitari concessit universo Clero Sæculari, et Regulari in omnibus Regnis, Dominiis et Ditionibus Cæsareæ Majestati subjectis extra Italiam.

AD VESPERAS,

Añæ de Laud. Psalmi, Capit. et Hymnus ut in Festis B. M. cxxxviij.

℣. Concéptio sanctæ Maríæ vírginis. ℟. Cujus vita ínclyta cunctas illústrat Ecclésias.

Ad Magnificat, Aña. Gloriósæ vírginis Maríæ Conceptiónem digníssimam recolámus, quæ et genitrícis dignitátem obtínuit, et virginálem pudicítiam non amísit.

Oratio ut ad Laudes.

Ad Matutinum, Invitat. Conceptiónem Vírginis Maríæ celebrémus: * Christum ejus Fílium adorémus Dóminum. Psalmus. Veníte exultémus. 2.

Hymnus, Añæ, Psalmi et ℣℣. Nocturnorum, ut in Festis B. M. cxlj.

In j. Nocturno Lect. de Script. occurr.

℟. j. Concépta est beáta virgo María ex progénie David: * Per quam salus mundi credéntibus appáruit, cujus vita gloriósa lucem dedit sæculo. ℣. Conceptiónem beátæ Maríæ vírginis cum gáudio celebrémus. Per.

℟. ij. Beatíssimæ vírginis Maríæ Conceptiónem devotíssime celebrémus: * Ut ipsa pro nobis intercédat ad Dóminum Jesum Christum. ℣. Cum jucunditáte Conceptiónem beátæ Maríæ vírginis devotíssime celebrémus. Ut ipsa.

℟. iij. Gloriósæ vírginis Maríæ Conceptiónem digníssimam recolámus, * Cujus Dóminus humilitá-

tem respéxit, quæ Angelo nuntiánte concépit Salvatórem mundi. ℣. Beatíssimæ vírginis Maríæ Conceptiónem devotíssime celebrémus. Cujus. Glória Patri. Cujus.

Lectiones ij. et iij. Nocturni sumuntur ex Oct. Conceptionis ut viij. Decembris, ordine ut infra.

Mensibus Jan., et Febr. Sermo et Homilia diei Festi.

Mense Martio, quæ secunda die habentur.

℟. iv. Concéptio gloriósæ vírginis Maríæ ex sémine Abrahæ, ortæ de tribu Juda, clara ex stirpe David * Cujus vita ínclyta cunctas illústrat Ecclésias. ℣. Concépta est beáta virgo María ex progénie David. Cujus.

℟. v. Cum jucunditáte Conceptiónem beátæ Maríæ celebrémus: * Ut ipsa pro nobis intercédat ad Dóminum Jesum Christũ. ℣. Corde et ánimo Christo canámus glóriam in hac sacra commemoratióne præcélsæ genitrícis Dei Maríæ. Ut.

℟. vj. Concéptio tua, Dei génitrix virgo, gaúdium annuntiávit univérso mundo: * Ex te enim ortus est sol justítiæ, Christus Deus noster: * Qui solvens maledictiónem, dedit benedictiónem: et confúndens mortem, donávit nobis vitam sempitérnam. ℣. Benedícta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui. Ex. Glória Patri. Qui.

℟. vij. Beátã me dicent omnes generatiónes: * Quia fecit mihi Dóminus magna qui potens est, et sanctum nomen ejus. ℣. Et misericórdia ejus a progénie in progénies timéntibus eum. Quia. Bened. Cujus festum cólimus, ipsa Virgo vírginum.

℟. viij. Felix namque es, sacra virgo María, et omni laude digníssima: * Quia ex te ortus est sol justítiæ, * Christus Deus noster. ℣. Ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu: séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam sanctam Conceptiónem. Quia ex te. Glória Patri. Christus.

## AD LAUDES,

et per Horas, Añæ.

1. Concéptio gloriósæ vírginis Maríæ, ex sémine Abrahæ, ortæ de tribu Juda, clara ex stirpe David. Psalm. Dóminus regnávit, cum reliq. 18.

2. Concéptio sanctæ Maríæ vírginis, cujus vita ínclyta cunctas illústrat Ecclésias.

3. Regáli ex progénie María exórta refúlget: cujus précibus nos adjuvári mente et spíritu devotíssime póscimus.



4. Corde et ánimo Christo canámus glóriam, in hac sacra commemoratióne præcélsæ genitrícis Dei Maríæ.

5. Cum jucunditáte Conceptiónem beátæ Maríæ celebrémus, ut ipsa pro nobis intercédat ad Dóminum Jesum Christum.

Capitulum. Ab inítio. Hymn. O gloriósa vírginum, ut in Festis B. Mariæ clj.

℣. Concéptio sanctæ Maríæ vírginis. ℟. Cujus vita ínclyta cunctas illústrat Ecclésias.

Ad Benedictus, Aña. Conceptiónem perpétuæ Vírginis genitrícis Dei Maríæ solémniter celebrémus, qua celsitúdo throni procéssit.

Oratio.

Famulis tuis, quæsumus Dómine, cœléstis grátiæ munus impertíre: ut, quibus beátæ Vírginis partus éxtitit salútis exórdium, Conceptiónis ejus votíva commemorátio, pacis tríbuat increméntum. Per Dóminum.

Ad Primam, et alias Horas, Añæ sumuntur ex Laud., ut sup. Capit. et ℟. br. ut in Festis B. Mariæ. clj.

In ij. Vesperis omnia ut in primis. ccxxix.

Ad Magnificat, Aña. Concéptio tua, Dei génitrix Virgo, gaúdium annuntiávit univérso mundo: ex te enim ortus est sol justítiæ, Christus Deus noster: qui solvens maledictiónem, dedit benedictiónem: et confúndens mortem, donávit nobis vitam sempitérnam.

Et fit commemoratio Dominicæ.

¶ Aliud Officium Conceptionis B. M. per annum habetur supra cxciij.

# PSALMORUM INDEX.

119. Ad Dominum cum tribularer. 136
27. Ad te Domine clamabo. 50
24. Ad te Domine levavi animam. 32
122. Ad te levavi oculos meos. 139
28. Afferte Domino filii Dei. 50
77. Attendite popule meus. 95
48. Audite hæc omnes Gentes. 71
118. Beati immaculati in. 25
127. Beati omnes,qui. 141
31. Beati, quorum. 53
40. Beatus, qui intelligit. 66
1. Beatus vir qui non abiit. 3
111. Beatus vir, qui timet Dominum. 132
33. Benedicam Dominum in omni tempore. 54
102. Benedic anima mea Domino, et omnia. 118
103. Benedic anima mea Domino, Domine Deus meus. 119
143. Benedictus Dominus. 150
48. Benedixisti Domine terram. 105
91. Bonum est confiteri Domino. 116
18. Coeli enarrant. 15
149. Cantate Domino canticum novum...laus ejus. 21
95. Cantate Domino.... cantate. 110
97. Cantate Domino.... quia. 115
74. Confitebimur tibi Deus. 93
9. Confitebor tibi... narrabo. 6
110. Confitebor tibi... in consilio. 132
137. Confitebor tibi...quoniam. 147
104. Confitemini Domino, et invocate. 120
105. Confitemini Domino quoniam... Quis. 122
106. Confitemini Domino quoniam... Dicant. 124
117. Confitemini Domino quoniam... Dicat. 24
135. Confitemini Domino quoniam in æternum. 145
15. Conserva me Domine. 10
115. Credidi propter. 136
4. Cum invocarem. 156
129. De profundis. 65
43. Deus auribus nostris. 68
49. Deus deorum Dominus. 72
62. Deus Deus meus ad te. 19
21. Deus Deus meus, respice. 34
69 Deus in adjutorium. 88
53. Deus in nomine tuo salvum. 24



71. Deus judicium tuum regi da. 90
108. Deus laudem meam ne tacueris. 126
66. Deus misereatur nostri. 19
45. Deus noster refugium. 70
82. Deus quis similis erit. 103
59. Deus repulisti nos,et destruxisti. 80
81. Deus stetit in synagoga. 103
78. Deus venerunt gentes. 98
93. Deus ultionum Dominus. 109
114. Dilexi, quoniam exaudiet. 135
17. Diligam te Domine fortitudo. 12
38. Dixi : custodiam vias. 64
109. Dixit Dominus Domino meo. 132
35. Dixit injustus ut delinquat. 56
13. Dixit insipiens in corde. 9
52. Dixit insipiens in corde suo. 76
140. Domine clamavi ad. 149
7. Domine Deus meus in te speravi. 5
87. Domine Deus salutis meæ. 106
8. Domine Dominus noster. 6
101. Domine exaudi orationem meam : et clamor. 117
142. Domine exaudi orationem meam : auribus. 112
20. Domine in virtute tua. 16
6. Domine, ne in furore tuo arguas me. 4
37. Domine, ne in furore tuo. 59
130. Domine, non est exaltatum. 142
138. Domine probasti me et cognovisti. 147
3. Domine quid multiplicati. 4
14. Domine quis habitabit. 10
89. Domine refugium factus es. 100
23. Domini est terra. 31
26. Dominus illuminatio. 49
22. Dominus regit me. 33
92. Dominus regnavit, decorem. 18
96. Dominus regnavit, exultet. 111
98. Dominus regnavit, irascantur. 115
133 Ecce nunc benedicite. 158
132. Ecce quam bonum. 144
58. Eripe me de inimicis. 79
139. Eripe me Domine ab homine. 148
44. Eructavit cor meum verbum. 69
144 Exaltabo te Deus. 150
29. Exaltabo te Domine, quoniam. 51
19. Exaudiat te Dominus in die. 16
60. Exaudi Deus deprecationem. 80

54. *Exaudi Deus orationem meam et ne.* 76
63. *Exaudi Deus orationem meam cum deprecor.* 81
16. *Exaudi Domine justitiam meam.* 11
39. *Expectans expectavi Dominum.* 65
80. *Exultate Deo adjutori nostro.* 103
32. *Exultate justi in Domino.* 53
67. *Exurgat Deus, et dissipentur.* 82
86. FUNDAMENTA *ejus in montibus.* 106
85. INCLINA *Domine aurem tuam.* 105
125. *In convertendo.* 140
10. *In Domino confido.* 8
113. *In exitu Israel de Ægypto.* 133
30. *In te Domine speravi.* 51
70. *In te Domine speravi.* 89
65. *Jubilate Deo omnis terra, psalmum.* 82
99. *Jubilate Deo omnis terra, servite.* 19
34. *Judica Domine nocentes me.* 55
42. *Judica me Deus, et discerne.* 74
25. *Judica me Domine, quoniam.* 33
121. LÆTATUS *sum in his.* 139
145. *Lauda anima mea Dominum.* 152
147. *Lauda Jerusalem Dominum.* 153
148. *Laudate Dominum de cœlis.* 20
150. *Laudate Dominum in sanctis.* 21
116. *Laudate Dominum omnes.* 136
146. *Laudate Dominum quoniam.* 152
134. *Laudate nomen Domini.* 144
112. *Laudate pueri Dominum.* 133
120. *Levavi oculos meos.* 136
47. MAGNUS *Dominus, et.* 70
131. *Memento Domine.* 143
56. *Miserere mei Deus, miserere.* 78
55. *Miserere mei Deus, quoniam.* 77
50. *Miserere mei Deus, secundum.* 60
100. *Misericordiam et judicium.* 116
88. *Misericordias Domini.* 107
126. NISI *Dominus ædificaverit domum.* 141
123. *Nisi quia Dominus.* 140
36. *Noli æmulari in malignantibus.* 57
61. *Nonne Deo subjecta.* 81
75. *Notus in Judæa Deus.* 93
46. OMNES *gentes plaudite manibus.* 70
107. PARATUM *cor meum.* 126
72. QUAM *bonus Israel.* 91
83. *Quam dilecta tabernacula.* 104
2. *Quare fremuerunt gentes.* 3
41. *Quemadmodum desiderat.* 67



124. *Qui confidunt in Domino.* 140
51. *Quid gloriaris in.* 73
90. *Qui habitat in adjutorio.* 157
79. *Qui regis Israel, intende.* 99
128. SÆPE *expugnaverunt.* 142
68. *Salvum me fac Deus.* 87
11. *Salvum me fac Domine.* 8
57. *Si vere utique justitiam.* 78
136. *Super flumina Babylonis.* 146
64. TE *decet hymnus Deus.* 84
94. VENITE, *exultemus Domino.* 3
5. *Verba mea auribus.* 61
76. *Voce mea ad Dominum clamavi : voce mea ad Deum.* 94
141. *Voce mea ad Dominum clamavi : voce mea ad Dominum.* 149
12. *Usquequo Domine oblivisceris.* 9
73. *Ut quid Deus repulisti.* 92

## CANTICORUM INDEX.

AUDITE *cœli quæ loquor.* 129
BENEDICITE *omnia opera.* 20
*Benedictus Dominus Deus.* 22
CANTEMUS *Domino, gloriose.* 100
*Confitebor tibi Domine.* 62
DOMINE *audivi auditionem.* 112
EGO *dixi, in dimidio dierum.* 74
*Exultavit cor meum in Domino.* 85
MAGNIFICAT *anima mea Dominum.* 135
NUNC *dimittis servum tuum.* 158
QUICUMQUE *vult salvus esse.* 26
TE *Deum laudamus.* 17.

## HYMNORUM INDEX.

ÆTERNA *Cœli gloria.* 114
*Æterna Christi munera.* iij
*Æterne rerum Conditor.* 22
*Ales diei nuntius, Lucem.* 75
*Alto ex Olympi vertice.* cxxiij
*A solis ortus cardine.* 222
*Audit tyrannus anxius.* 238
*Ave maris stella.* cxl
*Aurora jam spargit polum.* 131
BEATE *Pastor Petre.* 173
COELESTIS *Urbs Jerusalem.* cxij
*Cœli Deus sanctissimè.* 142
*Christo profusum sanguinem.* xxxvij

*Consors Paterni luminis.* 64
*Creator alme siderum.* 161
*Crudelis Herodes, Deum.* 283
DEUS *tuorum militum.* 232
EGREGIE *Doctor Paule.* 487
*En clara vox redarguit.* 166
*Exultet orbis gaudiis.* 236
FORTEM *virili pectore.* cv.
HOMINIS *superne Conditor.* 150
*Hujus orata, Deus alme.* cv
JAM *lucis orto sidere.* 23
*Jam sol recedit igneus.* 153
*Jesu corona celsior.* lxxx
*Jesu corona Virginum.* c
*Jesu decus Angelicum.* 458
*Jesu dulcis memoria.* 451
*Jesu Redemptor omnium.* 215
*Jesu Rex admirabilis.* 452
*Immense Cœli Conditor.* 137
*Invicte Martyr, unicum.* xxxj
*Iste Confessor Domini, colentes.* lxix
LUCIS *Creator optime.* 134
*Lux ecce surgit aurea.* 102
MAGNÆ *Deus potentiæ.* 146
*Martinæ celebri plaudite.* 501
*Memento rerum Conditor.* clvj
NOX *atra rerum contegit.* 86
*Nox, et tenebræ, et nubila.* 86
*Nunc sancte nobis Spiritus.* 40
O *gloriosa virginum.* 430
*O sola magnarum urbium.* 297
PANGE *lingua.* ccxix
*Primo die, quo Trinitas.* 2
QUEM *terra, pontus, sidera.* cxlj
*Quodcumque in orbe.* 468
RECTOR *potens, verax Deus.* 45
*Rerum Creator optime.* 75
*Rerum Deus tenax vigor.* 46
*Rex gloriose Martyrum.* xlviij
SACRIS *solemniis.* ccxx
*Salvete flores Martyrum.* 242
*Sanctorum meritis inclyta.* xxxvj
*Somno refectis artubus.* 49
*Splendor Paternæ gloriæ.* 62
*Summæ Parens clementiæ.* 114
TE *lucis ante terminum.* 158
*Telluris alme Conditor.* 141
*Tu natale solum protege.* 502
*Tu Trinitatis Unitas.* 102
VERBUM *supernum prodiens.* 162
*Virginis Proles Opifexque.* lxxxix

# GREGORIUS PAPA XIII.

## AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

PASTORALIS officii cura nos admonet, ut ea quæ
magis conducere censemus, pro locorum et per-
sonarum qualitate concedamus. Sane licèt aliàs post
Missalis et Breviarii ex decreto sacri Concilii Triden-
tini editionem fel. rec. Pius V. prædecessor noster,
dilecti nobis filii Ludovici de Torres Malacitani, et
Cameræ apostolicæ clerici, qui tunc ex Hispaniarum
regnis, ad quæ ab eodem prædecessore pro certis gra-
vibus negotiis ad rempublicam christianam spectan-
tibus missus fuerat, Romam redierat, relatione audi-
ta, multas scilicet, ut ipse Ludovicus à viris gravis-
simis ad hunc effectum à charissimo filio nostro
Philippo Hispaniarum rege catholico deputatis acce-
perat, ex hujusmodi editione subortas fuisse in illis
partibus difficultates, ad eas tollendas nonnulla quoad
Hispaniarum regna prædicta duxerit reformanda, et
concedenda: nihilominus quia, ut idem Ludovicus
nobis retulit, re ipsa compertum est, adhuc aliqua ad
Missalis, et Breviarii impressionem, quæ in illa pro-
vincia magnis impensis curantur, desiderari: Nos
ejus dictis certam adhibentes fidem, ad omnem scru-
pulum dimovendum, motu proprio, et ex certa scien-
tia nostra, ac de apostolicæ potestatis plenitudine,
hæc quæ sequuntur, declaranda duximus, et conce-
denda. In primis illud nobis declarandum se offert,
ex quo magna oriri poterat confusio. Cùm enim præ-
decessor noster prædictus indistincte concesserit, ut
ecclesiæ Hispaniæ possint celebrare officia propria
sanctorum illius provinciæ, illique plures sint nume-
ro, ex hoc sequebatur, ut officium majoris partis
feriarum anni omitteretur, et ordo Breviarii fere sub-
verteretur: Nos huic incommodo occurrere volentes,
et prædecessoris prædicti mentem sano modo inter-
pretantes, declaramus unamquamque Hispaniæ

ecclesiam eorum tantùm sanctorum, qui in Breviario non sunt descripti, officia propria celebrare posse, qui vel illius diœcesis sunt naturales, vel ejus ecclesiæ seu diœcesis sunt patroni, vel eorum corpora, seu notabiles reliquiæ in ea ecclesia seu diœcesi requiescunt. De aliis verò sanctis etiam si sint naturales, vel patroni alterius diœcesis, etiamsi illorum corpora, vel notabiles reliquiæ in aliqua ecclesia alterius diœcesis requiescant, non celebretur officium proprium, sed servetur ordo Breviarii romani. Et quo die celebrabitur festivitas patroni unius diœcesis, religiones omnes teneantur eodem die in suis ecclesiis intra limites illius diœcesis existentibus, eamdem festivitatem celebrare, et in hoc cum ecclesia matrice se conforment. Item volumus, quod festivitates sequentes sint in tota Hispania generales; ita quod omnes ecclesiæ, et religiones existentes in illa provincia recitent de illis, et celebrent propria illorum officia, quæ sunt, festivitas Expectationis Dominæ nostræ, quæ celebratur die xviii mensis decembris. Et quoniam dicta die juxta Breviarium romanum feria habet antiphonas proprias ad laudes, ne antiphonæ prædictæ omittantur, et ut festivæ singulis annis in illa provincia decantentur; mandamus, quod dictæ antiphonæ feriales, quæ in die, in qua officium Expectationis celebratur, dicendæ essent, reponantur die xvi decembris, omissa ea, quæ ad Canticum dicitur, cujus loco dicatur ea, quæ ad Canticum ponitur in Psalterio, et idem fiat de antiphonis in die sancti Thomæ occurrentibus, reponendis in sabbato, quando festum Expectationis hujusmodi in sabbato venerit; ut scilicet antiphonæ in die sancti Thomæ occurrentes, tunc reponantur xvi decembris, dempta ea, quæ dicitur ad Canticum, ùt supra. Item festivitas Triumphi sanctæ Crucis, quæ celebratur die xvi julii. Item festivitas sancti Ildephonsi, archiepiscopi Toletani confessoris. Item festivitas sancti Isidori, archiepiscopi Hispalensis, pro quo celebretur officium doctoris, et recitetur credo in celebratione missæ. Insuper celebretur festivitas sanctæ Annæ, matris beatæ Mariæ virginis in omnibus locis, ubi fuerit ecclesia, vel capella dictæ sanctæ ad præsens, vel ubi ædificabitur ecclesia in futurum. Item concedimus, quod quælibet ecclesia, et monasterium Hispaniæ, habens aliquas reliquias insignes, putà caput



brachium, vel crus alicujus sancti, etiam alienigenæ, non existentis in Breviario, vel de quo in dicto Breviario fit tantùm commemoratio, possit illius festivitatem celebrare et officium duplex facere, et de alio sancto eodem die occurrenti, si fuerit simplex, fiat commemoratio : si verò fuerit duplex, vel semiduplex, transferatur in primam diem simili festo non impeditam. Et quoniam in regno Castellæ in pluribus ecclesiis celebratur die xxx decembris Translatio sancti Jacobi apostoli, Hispaniarum patroni, præcipuum duplex, et in Breviario ponitur die xxix festivitas sancti Thomæ archiepiscopi Cantuariensis, et martyris, semiduplex, et in anno quo festivitas sancti Thomæ occurrit in dominica, juxta regulam Breviarii transfertur in diem sequentem; quo die in eo regno celebratur supradicta festivitas sancti Jacobi, posteaque per plures dies non venit aliqua dies vacua, in qua possit celebrari festivitas prædicti S. Thomæ; volumus, ut in eo anno festum ipsum sancti Thomæ transferatur ad primam diem duplici non impeditam, quæ erit vigilia Epiphaniæ, et tunc de vigilia fiat tantùm commemoratio : ad vesperas autem Epiphaniæ nulla fiat commemoratio de festo S. Thomæ prædicti. Cùm verò in ecclesiis, et regionibus Hispaniæ vigeat consuetudo, quod diebus Paschalibus, et festivitatibus majoribus celebret missam conventualem Antistes, vel alia persona principalis, et regula Missalis ordinet, quod omnibus diebus dominicis infra annum sacerdos, qui celebraverit missam conventualem, exeat ante celebrationem missæ cum pluviali, vel cappa, et cum ministris ad incipiendum in altari majori antiphonam Asperges, et aspergendum aqua benedicta populum : concedimus, quod Antistes, seu alia persona principalis celebrans missam conventualem, præmissa facere non teneatur, sed illa facere possit quilibet alius simplex sacerdos ejus loco, et quod talis sacerdos non deferat pluviale, sed albam, et stolam, vel superpelliceum, et stolam, nec procedat associatus cum ministris, sed solum cum acolythis. Hæc autem omnia, et singula, Breviarium, et Missale concernentia, per felicis recordationis Pium V, et nos concessa pro Hispaniarum provinciis, volumus ut intelligantur etiam concessa ecclesiis insularum, et terræ firmæ Indiarum dicto Regi catholico subjectarum. Et insuper statuimus,

quod missæ sanctorum, quæ juxta motum proprium dicti Pii V in Missali romano in Hispaniis imprimendo possunt imprimi, non in corpore, sed in fine dicti Missalis imprimantur. Et ita per præsentes apostolica auctoritate declaramus, statuimus, concedimus, et indulgemus: non obstantibus præmissis et litteris prædecessoris prædicti in Breviario. et Missali, ac regulis sub Rubricis generalibus cum ipsismet Breviariis et Missalibus impressis; nec non omnibus, et singulis in eis contentis prohibitionibus, clausulis, derogationibus, et decretis. Quæ omnia Nos ad effectum præsentium in dictis provinciis locum sibi non vindicare decernimus, ac aliis, quæ dictus prædecessor in suis litteris obstare non voluit, cæterisque contrariis quibuscumque. Ut autem præsentes litteræ omnibus innotescant, volumus, et districte præcipiendo, omnibus et singulis librorum impressoribus in partibus illis consistentibus mandamus, ut illas in cujuslibet Missalis, et Breviarii principio imprimant, et imprimi curent; alias illis non appositis, et impressis præsentes nemini suffragentur. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die XXX decembris, M. D. LXXIII. Pontificatus nostri anno primo.

*Cæs. Glorierius.*

# KALENDARIUM

Sanctorum qui in Hispania celebrantur.

## PARS HIEMALIS.

Dies mensis.

### DECEMBER.

iv. Barbaræ, virginis et mart. Dupl.
viij. Conceptionis B. M. V. Dupl. j. cl. cum oct.
ix. Leocadiæ, virginis et mart. Dupl.
x. Translat. almæ Domus Lauretanæ. Dup. maj.
xij. Eulaliæ, virginis et mart. Duplex.
xv. Octav. Concept. B. M. V. Dupl.
xviij. Expectationis Partus B. M. V. Duplex majus.
xx. Dominici Sylensis, abbat. Duplex.
xxiij. Nicolai Factoris, confess. Dupl.
xxx. Translationis S. Jacobi, apostoli. Dupl. maj.

### JANUARIUS.

xvj. Fulgentii, episcopi et conf. Duplex.
xxj. Fructuosi, Augurii, et Eulogii, mart. Dupl.
xxij. Vincentii levitæ et mart. Dupl. ij. cl. cum oct.
xxiij. Ildephonsi, episcopi et confess. Duplex ij classis cum oct.
xxvj. Paulæ, viduæ. Semidup.
xxviij. Juliani, episcopi et confessoris. Duplex ij classis cum oct.
xxix. Octava S. Vincentii, levitæ et mart. Dup.
xxix. Valerii, episcopi et confessoris. Duplex.
xxx. Octava S. Ildephonsi. Duplex.

### FEBRUARIUS.

j. Cæcilii, episcopi et mart. Dup.
iv. Octava S. Juliani. Dup.
xij. Eulaliæ, virginis et mart. Dup.
xiv. J. B. à Conceptione, conf. Dup.
xxv. Sebastiani ab Apparitio, confessor. Dup.

MARTIUS.

j. Rudesindi, episcopi et conf. Dup.
iij. Hemetherii et Celedonii, mart. Dup.
xiij. Leandri, episcopi et confess. Dup.

# PROPRIUM

# SANCTORUM HISPANORUM.

## PARS HIEMALIS.

### DIE IV. DECEMBRIS.

In Festo sanctæ Barbaræ, Virginis et Martyris.

Duplex.

Omnia de Communi Virginum, præter sequentia.

Oratio. Deus, qui inter cætera.

Commemoratio Feriæ.

In j. Nocturno, Lectiones de Script. occur.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

BARBARA virgo Nicomediensis, Dioscori nobilis, sed superstitiosi hominis filia, per ea, quæ visibilia facta sunt, ad invisibilia divina opitulante gratia facilè pervenit. Quapropter soli Deo rebusque divinis vacare cœpit. Eam pater, utpote forma venustiori nitentem, à quocumque virorum occursu tutari cupiens, turri inclusit; ubi pia virgo meditationibus, et precibus addicta soli Deo, quem sibi in sponsum elegerat, placere studebat. Oblata à patre pluries nobilium connubia fortiter sprevit. Pater verò, per suì absentiam filiæ animum posse facilius emolliri confidens, jussit primò balneum extrui, ne quid ei deesset ad commoditatem; deindè peregrè in exteras regiones profectus est.

℟. Propter veritatem.

Lectio v.

ABSENTE patre, jussit Barbara duabus fenestris, quæ in turri erant, tertiam addi in honorem divinæ Trinitatis, labiumque balnei sacrosanctæ Crucis signo muniri: quod ubi rediens Dioscorus inspexit, auditâ novitatis causâ, adeo in filiam excanduit, ut stricto ense eam appetens, parùm abfuerit, quin eam dire confoderet, sed præsto adfuit Deus: nam fugienti Barbaræ saxum ingens se patefaciens viam aperuit, per quam montis fastigium petere, et in specu latere potuit; sed paulò pòst cùm à nequissimo genitore reperta fuisset, ejus latera pedibus dor-

sumque pugnis immaniter percussit, et crinibus per loca aspera, difficilesque vias raptatam Martiano præsidi puniendam tradidit. ℟. Dilexisti.

Lectio vj.

ITAQUE ab ipso omnibus modis, sed incassum tentata, nuda nervis cædi et inflicta vulnera testulis confricari, deindè in carcerem trahi præcepit; ubi immensa luce circumdatus ei Christus apparens, mirificè confortatam, in passionum tolerantia confirmavit; quod animadvertens Juliana matrona ad fidem conversa, ejusdem palmæ particeps effecta est. Barbaræ demùm ferreis unguibus membra laniantur, facibus latera incenduntur, et malleolis caput contunditur, quibus in cruciatibus consortem solabatur, et hortabatur, ut ad finem usque constanter certaret; præcicis tandem utrique uberibus, nudæ per loca publica tractæ, capite plectuntur, filiæque cervicem ipse scelestissimus pater humanitatis expers propriis manibus amputavit; cujus fera crudelitas non diù inulta remansit, nam statim eo ipso in loco fulmine percussus interiit. Caput hujus beatissimæ martyris in oratorio ad Sancta Sanctorum honorificè asservatur.

℟. Afferentur Regi.

In iij. Nocturno, Homilia in Euangelium, Simile erit regnum cœlorum. j. loco.

In Laud. fit Commem. Feriæ.

In ij. Vesperis fit à Capitulo de sequenti, cum Comm. Feriæ ac S. Sabbæ abbatis. ℣. Justum.

## DIE VIII. DECEMBRIS.

### In Festo Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis, Hispaniarum ac Indiarum Patronæ.

Duplex j. classis cum Octava.

Ab universo Hispaniarum Indiarumque Ditionum clero sæculari et regulari, quomodolibet etiam exempto, colendum et celebrandum mandato SS. D. N. Clementis XII.

Ad Vesperas, Aña. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias Adæ. Psalmi ùt in Festis B. M. Aña. Tota pulchra es, Maria, et macula non est in te. Aña. Tu gloria Jerusalem, tu lætitia Israël, tu honorificentia populi nostri. Aña. Vox enim tua dulcis, et facies illa tua decora nimis. Aña. Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa supra dilectum Filium.

Capitulum Laudum.

Hymnus. Ave maris, ùt in Festis B. M.



℣. Immaculata Conceptio est hodie sanctæ Mariæ virginis. ℟. Cujus vita inclyta cunctas lætificat devotas animas.

Ad Magnificat, Aña. Quàm pulchri sunt gressus tui, filia principis! Collum tuum sicut turris eburnea, oculi tui divini, et comæ capitis tui sicut purpura Regis. Quàm pulchra es, et quàm decora charissima! alleluia.

Oratio ùt ad Laudes.

Deindè Comm. Feriæ.

Ad Matutinum, Invitat. Immaculatam Conceptionem virginis Mariæ celebremus: * Christum ejus præservatorem adoremus Dominum. Psalm. Venite, exultemus. Hymn. Quem terra. ùt in Festis B. M.

In primo Nocturno, Aña. Multæ filiæ congregaverunt sibi divitias, tu verò supergressa es universas. Psalmi ùt in Festis B. M. Aña. Surrexerunt filii ejus, et beatissimam prædicaverunt: vir ejus, et laudavit eam. Aña. Fortitudo et decor indumentum ejus, byssus et purpura vestis illius. ℣. Liberasti me Domine, ex ore leonis, ℟. Et à cornibus unicornium humilitatem meam.

Lectiones, Ego ex ore, ùt in Breviario eodem die.

℟. j. Ego ex ore Altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam: ego in cœlis feci, ut oriretur lumen indeficiens: * Et sicut nebula texi omnem carnem. ℣. Gyrum cœli circuivi sola, et profundum abyssi penetravi, et in omni populo, et in omni gente primatum tenui. Et sicut.

℟. ij. Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, et à generationibus meis implemini. * Spiritus enim meus super mel dulcis, et hæreditas mea super mel et favum. ℣. Qui audit me, non confundetur: et qui elucidant me, vitam æternam habebunt. Spiritus.

℟. iij. Meum est consilium, et æquitas: mea est prudentia, mea est fortitudo: * Per me reges regnant, per me principes imperant, et potentes decernunt justitiam. ℣. Ego diligentes me diligo: et qui manè vigilant ad me, invenient me. Per me. Gloria Patri. Per me.

In secundo Nocturno,

Aña. Quid videtis in Sunamite, nisi choros castrorum? Aña. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem: nec flumina peccatorum obruent Mariam. Aña. A custodia matutina usque ad noctem speravit Maria in Domino: quia copiosa apud eum redemptio. ℣. Eruisti a

framea, Deus, animam meam, ℟. Et de manu canis unicam matrem meam.

Sermo sancti Hieronymi, Presbyteri.

Lectio iv.

Qualis, et quanta esset beata et gloriosa semper virgo Maria ab Angelo divinitùs declaratur, cùm dicitur: Ave gratia plena: Dominus tecum; benedicta tu in mulieribus. Talibus namque decebat Virginem oppignorari muneribus, ut esset gratia plena, quæ dedit cœlis gloriam, terris Dominum, pacemque refudit, fidem gentibus, finem vitiis, vitæ ordinem, moribus disciplinam. Et benè plena, quia ceteris per partes præstatur: Mariæ verò simul se tota infudit plenitudo gratiæ. Verè plena, quia etsi in sanctis patribus, et prophetis gratia fuisse creditur, non tamen eatenùs plena; in Mariam verò totius gratiæ, quæ in Christo est, plenitudo venit, quamquam aliter. Et ideò inquit: Benedicta tu in mulieribus: id est; plus benedicta, quàm omnes mulieres. Ac per hoc quidquid maledictionis infusum est per Hevam, totum abstulit benedictio Mariæ.

℟. Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te, amica mea, pulchræ sunt genæ tuæ, sicut turturis. * Faciamus adjutorium simile sibi. ℣. Eò quòd castitatem amaveris, virumque nescieris, ideò et manus Domini confortavit te, et eris benedicta in æternũ. Faciamus.

Lectio v. *Cap.* 2. *et* 4.

De ipsa Salomon in Canticis, quasi in laudem ejus: Veni, inquit, columba mea, immaculata mea. Jam enim hiems transiit, imber abiit, et recessit. Ac deindè inquit: Veni de Libano, veni coronaberis. Non immeritò igitur venire de Libano jubetur, quia Libanus candidatio interpretatur. Erat enim candidata multis meritorum virtutibus, et dealbata nive candidior Spiritus sancti muneribus, simplicitatem columbæ in omnibus repræsentans, quoniam quidquid in ea gestum est, totum puritas, et simplicitas, totum veritas, et gratia fuit, totum misericordia, et justitia, quæ de cœlo prospexit: et ideò immaculata, quia in nullo corrupta.

℟. Fac tibi arcam de lignis lævigatis. Ruptique sunt fontes abyssi magnæ, * Et factum est diluvium peccati super omnem terram. ℣. Arca verò deifera elevata est in sublime, et ferebatur



super aquas, opertique sunt omnes montes excelsi sanctorum. Et.

Lectio vj.

Circumdedit enim virum in utero, sicut Jeremias sanctus testatur, et non aliundè accepit. Faciet, inquit, Dominus novum super terram, et mulier circumdabit virum. Verè novum, et omnium novitatum supereminens novitas virtutum, quando Deus (quem ferre non potest mundus, neque videre aliquis, ut vivere possit) sic ingressus est hospitium ventris, ut corporis claustrum nesciret: sicque gestatus, ut totus Deus in eo esset: et sic exivit indè, ut esset (sicut Ezechiël fatetur) porta omninò clausa. Undè canitur in eisdem canticis de ea: Hortus conclusus, fons signatus, emissiones tuæ paradisus. Vere hortus deliciarum, in quo consita sunt universa florum genera, et odoramenta virtutum: sicque conclusus, ut nesciat violari, neque corrumpi ullis insidiarum fraudibus. Fons itaque signatus sigillo totius Trinitatis.

℟. Fiat mihi sanctuarium, et habitabo in medio eorum. Arcam de lignis Setim compingite: et deaurabis eam auro mundissimo intùs et foris: * Et pones super mensam panes propositionis in conspectu meo semper. ℣. Inspice, et fac secundùm exemplar, quod tibi in monte monstratum est. Et. Gloria Patri. Et.

In tertio Nocturno.

Ant. Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ, et thuris, et universi pulveris pigmentarii? Ant. Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani, columnas ejus fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum, media charitate constravit. Ant. Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata? ℣. Verè Dominus est in loco sancto isto; et ego nesciebam. ℟. Non est hìc aliud, nisi domus Dei, et porta cœli.

Lectio sancti Euangelii secundùm Lucam.

Lectio vij. *Cap.* 11.

In illo tempore: Loquente Jesu ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi: Beatus venter, qui te portavit. Et reliqua.

Hom. vener. Bedæ Presb. *Lib.* 4. *cap.* 49. *in Luc.* 11.

Magnæ devotionis, et fidei hæc mulier

ostenditur, quæ scribis et pharisæis Dominum tentantibus, simul et blasphemantibus, tanta ejus incarnationem præ omnibus sinceritate cognoscit, tanta fiducia confitetur, ut et præsentium procerum calumniam, et futurorum confundat hæreticorum perfidiam.

℟. Omnes moriemini, quia in Adam peccavistis. Quid habes Esther elevata in populis? Ego sum frater tuus, noli timere, non morieris: * Non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est. ℣. Non extinguetur in nocte lucerna tua, et non timebis à frigore nivis. Non.

Lectio viij.

NAM sicut tunc Judæi, sancti Spiritus opera blasphemando, verum consubstantialemque Patri Dei Filium negabant: sic hæretici postea negando, Mariam semper virginem, sancti Spiritus operante virtute, nascituro cum humanis membris Unigenito Dei, carnis suæ materiam ministrasse, verum consubstantialemque matri filiũ hominis fateri non debere dixerunt.

℟. Filius meus parvulus est, et delicatus. Domus, quam ædificare volo, talis esse debet, ut in cunctis nationibus nominetur. * Et ob hanc causam ante mortem suam omnes præparavit impensas. ℣. Elegi, et sanctificavi locum istum, ut sit nomen meum ibi in sempiternum et permaneant oculi mei, et cor meum ibi cunctis diebus. Et. Gloria Patri. Et.

Lectio ix.

SED si caro Verbi Dei secundùm carnem nascentis à carne Virginis matris pronuntiatur extranea, sine causa, venter qui eam portasset, ubera quæ lactassent, beatificantur. Dicit autem Apostolus: Quia misit Deus Filium suum factum ex muliere: factum sub lege. Neque audiendi sunt, qui legendum putant: Natum ex muliere, factum sub lege; sed factum ex muliere, quia conceptus ex utero virginali, carnem non de nihilo, non aliundè, sed materna traxit ex carne: alioquin nec verè Filius hominis diceretur, qui originem non haberet ex homine.

Te Deum laudamus.

AD LAUDES,

et per Horas, Aña.

DOMUM tuam decet sanctitudo, Domine, in longitudinem dierũ. Psalmi de Dñica. Aña. Hæc est domus Domini firmiter ædificata: benè fundata est supra firmam petram.



Aña. Fundavit eam Altissimus, qui super maria fundavit eam, et super flumina præparavit illam. Aña. Dominus custodit te ab omni malo, Maria; custodivit animam tuam, introitum tuum, et exitum tuum in sæculum. Aña. Fluminis impetus lætificat civitatem Dei, sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.

Capitulum. *Prov.* 8.

EGO diligentes me diligo: et qui manè vigilant ad me, invenient me; in viis justitiæ ambulo, ut ditem diligentes me. Qui operantur in me, non peccabunt. Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.

Hymnus. O gloriosa. ut in Festis B. M.

℣. Non accedat ad te malum. ℟. Neque flagellum appropinquabit tabernaculo tuo.

Ad Benedictus, Aña.

Quam pulchra es, amica mea, columba mea, immaculata mea, et odor vestimentorum tuorum super omnia aromata, alleluia.

Oratio.

DEUS, qui per immaculatam Virginis conceptionem dignum Filio tuo habitaculum præparasti: quæsumus, ut qui ex morte ejusdem Filii sui prævisa, eam ab omni labe præservasti; nos quoque mundos ejus intercessione, ad te pervenire concedas. Per eumdem Dominum.

Deindè fit Comm. Feriæ.

Ad Primam, ℣. Qui natus es de Maria virgine.

Ad Tertiam, Aña.

Hæc est domus Domini.

Capitulum. Ego. suprà.

℟. br. Liberasti me, Domine, * Ex ore leonis. Liberasti me. ℣. Et à cornibus unicornium humilitatem meam. Ex. Gloria Patri. Liberasti. ℣. Eruisti à framea, Deus, animam meam. ℟. Et de manu canis unicam matrem meam.

Ad Sextam, Aña.

Fundavit eam.

Capitulum. *Ezech.* 44.

PORTA hæc clausa erit: non aperietur, et vir non transibit per eam; quoniam Dominus Deus Israël ingressus est per eam; eritque clausa principi. Princeps ipse sedebit in ea.

℟. br. Eruisti à framea, * Deus, animam meam. Eruisti. ℣. Et de manu canis unicam matrem meam. Deus. Gloria Patri. Eruisti. ℣. Verè Dominus est in loco sancto isto, et ego nesciebam. ℟. Non est hìc aliud, nisi domus Dei, et porta cœli.

Ad Nonam, Aña.

Fluminis impetus.

Capitulum. *Prov.* 8.

BEATUS homo, qui audit me, et qui vigilat ad fores meas quotidiè, et observat ad postes ostii mei. Qui me invenerit, inveniet vitam, et hauriet salutem à Domino.

℟. br. Verè Dominus est in loco sancto isto, * Et ego nesciebam. Verè. ℣. Non est hìc aliud, nisi domus Dei, et porta cœli. Et. Gloria Patri. Verè. ℣. Scalam vidit Jacob, cujus cacûmen cœlum tangebat. ℟. Angelos quoque descendentes, qui eam lumine replebant.

Ad Vesperas. Aña.

Nihil est candoris, nihil est splendoris, nihil est virtutis, quod non resplendeat in Virgine gloriosa, Psalmi ut in Festis B. M. Aña. Quæ neque serpentis persuasione decepta, nec ejus venenosis afflatibus infecta est. Aña. Hanc quam tu despicis, Manichæe, mater mea est, et de manu mea fabricata. Aña. Decuit Virginem ea puritate nitere, qua major sub Deo nequit intelligi. Aña. Hæc est virga, in qua nec nodus originalis, nec cortex actualis culpæ fuit.

Capit. Ego diligentes. sup. Hymnus. Ave maris. ℣. Domine, dilexi decorem domus tuæ. ℟. Et locum habitationis gloriæ tuæ.

Ad Magnificat, Aña.

Unica est columba mea, una est perfecta mea, una est genitricis suæ electa. Viderunt eam animæ sanctæ, et immaculatam prædicaverunt, alleluia.

Deindè fit Comm. sequentis ac Feriæ.

## DIE IX. DECEMBRIS.

### In Festo S. Leocadiæ, Virg. et Mart. patronæ Toletanæ.

Duplex.

Aña. Veni sponsa. ℣. Specie.

Oratio.

BEATÆ Leocadiæ, virginis et martyris tuæ, quæsumus Domine, precibus et meritis adjuvemur: ut quæ pro tui nominis confessione carceres, et mortem pertulit, suo nos patrocinio ab æterno carcere defendat. Per Dominum.

Deindè fit Comm. Fer.

In j. Nocturno, Lectiones, Confitebor tibi, de Communi ij. loco.

In secundo Nocturno.

*Ex Breviariis, Martyrologiis et Historiis antiquis.*

Lectio iv.

LEOCADIA, virgo Toletana, nobilis genere, sed nobilior christiana pietate, eo tempore martyrium passa est, quo Diocletiano, et Maximiano imperatoribus, tam dira in Dei Ecclesiam persecutio commota est, ut ubique gentium conquisiti christiani, aut Christi fidem abnegare, aut mortem subire cogerentur. Ad quam crudelitatem exercendam, et veri Dei cultum in Hispania extinguendum, missus est ab imperatoribus Dacianus præses. Qui multis civitatibus ejus provinciæ martyrum sanguine consecratis, ubi Toletum venit, Leocadiam ad se accersiri jubet, eamque blanditiis primùm delinire aggreditur, deindè etiam terroribus ac modis omnibus de proposito colendæ christianæ religionis deducere conatur. Cujus impiam orationem Leocadia detestata in vincula conjicitur, ut aut sententiam mutet, aut vim immanium tormentorum experiatur.

℟. Propter veritatem.

Lectio v.

CUM autem in custodiam virgo duceretur, Deo humili corde gratias egit, quod pro Christo fundendi sanguinem sibi occasionem obtulisset. Conversaque ad eos, qui se lacrymis prosequebantur, placido vultu: Eja, inquit, Christi milites, congratulamini mihi, quoniam digna habita sum pro nomine Jesu contumeliam pati. In tetro carcere diu jacuit, donec auditis sævissimis tormentorum generibus, quibus Dacianus permultos christianos excruciatos necaverat, pio dolore commota, flexis humi genibus, Deum precata est, ut se (si ita expediret) è custodia corporis educeret ad confitendum nomini ejus: exauditaque à Domino, squalore confecta, impollutum spiritum in oratione Deo reddidit.

℟. Dilexisti.

Lectio vj.

LEOCADIÆ igitur corpus honorificè à christianis in suburbio Toletano sepelitur. Ubi posteà, et in loco ubi mortua est, duæ ecclesiæ collegiatæ, et tertia item parochialis in ædibus, in quibus habitavit, ejus nomine dedicatæ etiam nunc exstant. Quibus tantus honor Gothorum tempore est habitus, ut in eis potissimùm multa concilia Toletana, eaque frequentissima habita, et sanctissimi Archiepiscopi Toletani, Eugenius tertius, Ildephonsus, et Julianus in Leocadiæ basilica, propter virginis reverentiam, sepulti sunt. Hæc sanctissima virgo post mortem è tumulo surrexit, et Reccesvintho rege præsente, et magna hominum multitudine beato Ildephonso apparuit, ejusque studium in gloriosissimam virginem Mariam commendavit. ℟. Afferentur Regi.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Euangelii secundùm Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* 25.

In illo tempore, Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Simile erit regnum cœlorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas, exierunt obviam sponso, et sponsæ. Et reliqua.

Homilia sancti Isidori, Archiepiscopi Hispalensis.

*Lib. Sentent.*, *cap.* 40.

Virgo carne non mente, nullum præmium habet in repromissione. Unde et insipientibus virginibus Salvator in judicio veniens dicit: Amen dico vobis, nescio vos. Ubi enim judicans mentem corruptam invenerit, carnis procul dubio incorruptionem damnabit. Nihil prodest incorruptio carnis, ubi non est integritas mentis. Nihilque valet mundum esse corpore eum, qui pollutus est mente.

℟. Hæc est virgo.

Lectio viij.

Multi sunt reproborum, qui carnalis corruptelæ contagium nesciunt. Qui sicut infœcundi sunt corpore, ità steriles manent mente, operisque boni fœcunditate. Qui rectè de virginitate gauderent, si aliis pravis operibus non inservirent. Qui continentiam profitetur, et ab aliis terrenis desideriis non subtrahitur, quamvis hunc non polluat, diversa tamen mundanæ conversationis operatio maculat.

℟. Media nocte.

Lectio ix.

Virgines de suis meritis gloriantes, hypocritis comparantur, qui gloriam boni operis foris appetunt, quam intra conscientiam humiles habere debuerunt. Tales igitur ad promissa cœlestia non perveniunt: quia ipsæ sibi virginitatis præmium per elationis vitium auferunt. Hoc est enim in Euangelio non habere virgines in vasis oleum, id est, non servare intra conscientiam boni operis testimonium, sed in facie gloriari apud homines, non in corde apud Deum.

Te Deum laudamus.

In Laud. Com. Oct. et Fer.

Vesperæ seq. cum Com. S. Leocadiæ, Feriæ, et S. Melchiadis, Papæ et mart.

## DIE X. DECEMBRIS.

In Festo Translationis almæ Domus Lauretanæ B. M. V.

Ad Vesperas, Añæ et Capit. de Laud. Psalmi ùt in Festis B. M.

Hymnus. Ave maris. ibid.

℣. Hæc est domus Domini firmiter ædificata. ℟. Benè fundata est supra firmam petram.



Ad Magnificat, Aña.

Sanctificavit Dominus tabernaculum suum: quia hæc est domus Dei, in qua invocabitur nomen ejus, de quo scriptum est: Et erit nomen meum ibi, dicit Dominus.

Oratio ùt ad Laudes.

Com. Fer.

Ad Matutinum, Invitat.

Salvatorem mundi in domo virginis de Spiritu sancto conceptum, * Venite adoremus. Psal. Venite. Hymn. Cœlestis urbs Jerusalem, ùt in Communi Dedicationis Ecclesiæ.

In primo Nocturno,

Aña. Elevata est magnificentia tua super cœlos. Psalmi ùt in Festis B. M.

Aña. In sole posuit tabernaculum suum, et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo. Aña. Quis ascendet in montem Domini? aut quis stabit in loco sancto ejus? innocens manibus, et mundo corde. ℣. Hic domus Dei est, et porta cœli. ℟. Et vocabitur aula Dei.

De libro tertio Regum.

Lectio j. *Cap.* 8. *c*

Stetit autem Salomon ante altare Domini in conspectu Ecclesiæ Israël, et expandit manus suas in cœlum, et ait: Ergone putandum est, quòd verè Deus habitet super terram? Si enim cœlum, et cœli cœlorum te capere non possunt, quantò magis domus hæc, quam ædificavi? Sed respice ad orationem servi tui, et ad preces ejus, Domine Deus meus; audi hymnum, et orationem, quam servus tuus orat coram te hodie: ut sint oculi tui aperti super domum hanc nocte, ac die; super domum, de qua dixisti: Erit nomen meum ibi: ut exaudias deprecationē servi tui, et populi tui Israël, quodcumque oraverint in loco isto, et exaudies in loco habitaculi tui in cœlo, et cùm exaudieris, propitius eris.

℟. Vidi speciosam sicut columbam, ascendentem desuper rivos aquarum: cujus inæstimabilis odor erat nimis in vestimentis ejus: * Et sicut dies verni circumdabant eam flores rosarum, et lilia convallium. ℣. Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ, et thuris? Et.

Lectio ij.

Si fugerit populus tuus Israël inimicos suos (quia peccaturus est tibi) et agentes pœnitentiam, et confitentes nomini tuo venerint, et oraverint, et deprecati te fuerint in domo hac: exaudi in cœlo, et dimitte peccatum populi tui Israël, et reduces eos in terram, quam dedisti patribus eorum. Si clausum fuerit cœlum, et

non pluerit propter peccata eorum, et orantes in loco isto pœnitentiam egerint nomini tuo, et à peccatis suis conversi fuerint propter afflictionem suam: exaudi eos in cœlo, et dimitte peccata servorum tuorum, et populi tui Israël, et ostende eis viam bonam, per quam ambulent, et da pluviam super terram tuam quam dedisti populo tuo in possessionem.

℟. Quæ est ista, quæ ascendit sicut aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, * Terribilis ut castrorum acies ordinata? ℣. Filia Sion tota formosa, et suavis es, pulchra ut luna, electa ut sol. Terribilis.

### Lectio iij.

Si quis cognoverit plagam cordis sui, et expanderit manus suas in domo hac, tu exaudies in cœlo in loco habitationis tuæ, et repropitiaberis, et facies ut des unicuique secundùm omnes vias suas, sicut videris cor ejus (quia tu nosti solus cor omnium filiorum hominum) ut timeant te cunctis diebus, quibus vivunt super faciem terræ, quam dedisti patribus nostris. Insuper et alienigena, qui non est de populo tuo Israël, cùm venerit de terra longinqua propter nomen tuum (audietur enim nomen tuum magnum, et manus tua fortis, et brachium tuum extentum ubique) cùm venerit ergo, et oraverit in hoc loco, tu exaudies in cœlo, in firmamento habitaculi tui, et facies omnia, pro quibus invocaverit te alienigena: ut discant universi populi terrarum nomen tuum timere, sicut populus tuus Israël, et probent quia nomen tuum invocatum est super domum hanc.

℟. Quæ est ista quæ processit sicut sol, et formosa tamquam Jerusalem? * Viderunt eam filiæ Sion, et beatam dixerunt, et Reginæ laudaverunt eam. ℣. Et sicut dies verni circumdabant eam flores rosarum, et lilia convallium. Viderunt. Gloria Patri. Viderunt.

### In secundo Nocturno.

Aña. Diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum, et in sæculum sæculi. Aña. Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus. Aña. Homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus. ℣. Domine, dilexi decorem domus tuæ. ℟. Et locum habitationis gloriæ tuæ.

Sermo S. Bernardi, Abbat.
*Sermone* 52. *de divers.*

### Lectio iv.

Sapientia, quæ Dei erat, et Deus erat, de sinu



Patris ad nos veniens ædificavit sibi domum, ipsam scilicet Matrem suam virginem Mariam, in qua septem columnas excidit. Quid est in ea septem columnas excidere, nisi ipsam dignum sibi habitaculum, fide, et operibus præparare? nimirùm ternarius numerus ad fidem propter sanctam Trinitatem, quaternarius pertinet ad mores propter quatuor principales virtutes. Quòd autem in beata Maria sancta Trinitas fuerit, fuerit dico per præsentiam majestatis, ubi solus Filius erat per susceptionem humanitatis, testatur Nuntius cœlestis, qui ei arcana mysteria reserans, ait: Ave gratia plena, Dominus tecum; et post pauca: Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ecce habes Dominum, habes virtutem Altissimi, habes Spiritum sanctum, habes Patrem, Filium, et Spiritum sanctum.

℟. O quàm metuendus est locus iste! * Verè non est hìc aliud nisi domus Dei, et porta cœli. ℣. Hæc est domus Domini firmiter ædificata, benè fundata est supra firmam petram. Verè.

### Lectio v.

Utrum autem, et quatuor principales virtutes, tanquam quatuor columnas possederit inquisitione dignum videtur. Primùm ergò videamus, an fortitudinem habuerit: quæ nimirùm virtus quomodò illi abesse potuit, quæ abjectis sæcularibus pompis, spretisque voluptatibus carnis soli Deo in virginitate vivere proposuit? Ni fallor, hæc Virgo est, quæ apud Salomonem legitur, Mulierem fortem quis inveniet? procul, et de ultimis finibus pretium ejus. Porrò, quòd temperans, et justa fuerit, ex Angeli collocutione, et sui ipsius responsione, luce clarius comprobamus. Salutata quippè tam venerabiliter ab Angelo, Ave gratia plena, Dominus tecum; non se extulit, quasi quæ ex singulari gratiæ privilegio benediceretur, sed siluit, et qualis esset insolita hæc salutatio secum cogitavit. Qua in re, quid nisi temperans fuit? at verò, cùm de cœlestibus mysteriis ab eodem Angelo doceretur, diligenter quæsivit, quomodò conciperet et pareret, quæ virum utique non cognosceret; et in hoc sine dubio prudens extitit.

℟. Fundata est domus Domini supra verticem montium, et exaltata est super omnes colles, * Et venient ad eam omnes

gentes, et dicent, Gloria tibi, Domine. ℣. Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos. Et.

Lectio v.

Justitiæ autem præ se fert insigne, ubi se ancillam Domini confitetur, nam quod justorum sit confessio testatur, qui ait: Verumtamen justi confitebuntur nomini tuo. Fuit igitur beata virgo Maria fortis in proposito, temperans in silentio, prudens in interrogatione, justa in confessione. His itaque quatuor morum columnis, et tribus fidei prædictis extruxit in ea sibi domum Sapientia cœlestis, quæ adeo mentem ejus replevit, ut de plenitudine mentis fœcundaretur et caro. Ipsius autem Virginis natalis domus divinis mysteriis consecrata angelorum ministerio ab infidelium potestate in Dalmatiam prius, deindè in agrum Lauretanum Picenæ provinciæ translata fuit, sedente sancto Cœlestino Quinto: eamdemque ipsam esse, in qua Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, tum pontificiis diplomatibus, et celeberrima totius orbis veneratione, tum continua miraculorum virtute, et cœlestium beneficiorum gratia comprobatur. Quibus permotus Innocentius Duodecimus, quo ferventius erga Matris amantissimæ cultum fidelium memoria excitaretur, ejusdem sanctæ domus Translationem anniversaria solemnitate in tota Piceni provincia veneratam, missa etiam, et officio proprio celebrari præcepit.

℟. Domus mea domus orationis vocabitur, dicit Dominus, in ea omnis qui petit, accipit, et qui quærit, invenit: * Et pulsanti aperietur. ℣. Petite, et accipietis: quærite, et invenietis. Et. Gloria Patri. Et.

In tertio Nocturno.

Aña. Tollite hostias, et introite in atria ejus, adorate Dominum in aula sancta ejus. Aña. Viderunt omnes populi gloriam ejus. Aña. Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia fecit Dominus, alleluia. ℣. Domum tuam, Domine, decet sanctitudo. ℟. In longitudinem dierum.

Lectio sancti Evangelii secundùm Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* 1.

In illo tempore: Missus est Angelus Gabriël à Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et



nomen virginis Maria. Et reliqua.

Homilia sancti Bernardi, Abbatis.

*Ex Homilia 1. super Missus est.*

Quæ est hæc virgo tam venerabilis, ut salutetur ab Angelo, tam humilis ut desponsata sit fabro? Pulchra permixtio virginitatis, et humilitatis, nec mediocriter placet Deo illa anima, in qua et humilitas commendat virginitatem et virginitas exornat humilitatem: sed quanta putas veneratione digna est, in qua humilitatem exaltat fœcunditas, et partus consecrat virginitatem: Audis virginem, audis humilem? laudabilis virtus virginitas, sed magis necessaria humilitas: illa consulitur, ista præcipitur.

℟. Diffusa est gratia in labiis tuis. * Propterea benedixit te Deus in æternum. ℣. Myrrha, et gutta, et casia, à vestimentis tuis, à domibus eburneis, ex quibus te delectaverunt filiæ Regum in honore tuo. Propterea.

*Ex Hom. 2. super eodem loco.*

Lectio viij.

Missus est, inquit, Angelus ad Virginem, virginem carne, virginem mente, virginem professione, virginem denique qualem describit Apostolus, mente et corpore sanctam, nec noviter, nec fortuito inventam, sed à sæculo electam, ab Altissimo præcognitam, et sibi præparatam, ab angelis servatam, à patribus præfiguratam, à prophetis promissam, ut pauca loquar de pluribus; quam sibi aliam prædixisse Deus videtur, quando ad serpentem ait: Inimicitias ponam inter te, et mulierem? Et si adhuc dubitas, an de Maria dixerit, audi, quod sequitur: ipsa conteret caput tuum: cui hæc servata victoria est, nisi Mariæ?

℟. Beata es virgo Maria, Dei Genitrix, quæ credidisti Domino, perfecta sunt in te quæ dicta sunt tibi: ecce exaltata es super choros angelorum: * Intercede pro nobis ad Dominum Deum nostrum. ℣. Ave Maria, gratia plena: Dominus tecum. Intercede. Gloria Patri. Intercede.

*Ex Hom. 3. super eodem loco.*

Lectio ix.

Et ingressus Angelus ad eam, dixit: Ave gratia plena, Dominus tecum. Quò ingressus ad eam? Puto in sacrarium pudici cubiculi, ubi illa fortassis clauso super se ostio orabat Patrem in abscondito. Solent Angeli adstare orantibus, et delectari in